

est, quod dicit Galen, primo de Differentiis morborum, quod morbus est dispositio, & hic cum actiones læse & impeditæ sint, ergo ab aliquibus ægritudinibus: & cum sint actiones læse in omnibus membris, ægritudines etiam totidem erunt, ita ut nullum membrum sit sanum neque cerebrum neque cor, neque hepar, neq; ventriculus, imo præter hæc & viscera affecta sunt: non enim est sanus pulmo: quia habet descensum catarrhi, qui facit insignem difficultatem anhelitus: & ita omnia membra erūt affecta & læsa. Scimus enim quod vbi cunque impediuntur actiones, quod in illis membris sit ægritudo. Sed ægritudo vel morbus dupliciter intelligitur, vel per essentiam in aliqua parte corporis, vel per consensum. Nonnullas affectiones per essentiam, alias per consensum crediderim hic esse. Primo non in cerebro, quia non perpetuò habet vertiginem, sed per interualla. Vnde cerebrum compatitur & ægrotat quidem, sed per consensum. Ab alia parte audiuiimus quod tremor cordis non est perpetuus, & absit, quia non perduraret vita. Sed sunt nonnullæ dispositiones quæ sunt perpetuae, quæ nunquam delinquunt ipsum, ergo in illis ægritudo per essentiam. Et cum morbus & vitium faciens huiusmodi impedimenta possit esse triplex, vel mala intemperies, vel mala compositio, vel solutio continui, de solutione continui nihil dicā, sed de mala compositione ac complexione mala. Est primo mala complexio sine dubio, & cum sit multiplex, nemini dubium est, quod est frigida: quia actio diuinata & ablata à frigiditate prouenit. Hic sunt actiones ablatæ, ergo complexio frigida in membris naturalibus. Præterea est compositio mala, quia adsunt obstructiones circa hypochondria, vt tetigit D. Frachanzianus.

Hactenus igitur habemus ægritudines in complexione. Sequitur morbus in compositione. agitantur humores crudi, qui faciunt obstructio-nes. Hic quæna potuit esse causa in membris naturalibus harum dispositionum preter naturam? Galen. 4. de San. tuer. dicit, quod tria faciunt hominem cadere in ægritudinem, vel vitium membrorum contractum à natura, vel vitium rerum extrinsecarum: tertia causa est ipsum seniū. Raro enim homines possunt esse sani, qui contraxerint vitium in membris à natura, neq; illi qui vtuntur vixi depravato, & delinquunt in sex rebus nō naturalibus: rarissime etiam qui in senectute consti-tuti sunt, quæ vel morbus est, vel deterior disposi-tio quæ morbus, vel neutralitas, vel sanitas ^{neg-}_{re} habitudinem. Propterea cum tria ista faciant cadere homines in ægritudines, in isto Ab-bate etiā tria concurrunt validissima. Primo in-equalitas membrorum contracta à natura: habuit primo caliditatem insignē circa hepar, postea ex-cessit à temperamento per frigidum & humidum ventriculus: & quia ista duo membra ita distempe-rata habent, rarissime fit quin incident in ægritu-dines, ex quo enim ventriculus non appetit, non concoquit, nec est sicut oportet, constitutum he-par: nimis adurit, & facit biliosos humores. Quo-modio igitur viuit sanus iste? Primo igitur habuit in-equalitatem membrorum, ratione cuius maximè

A fuit dispositus, videlicet propter caliditatē hepatis generantis magnam copiam diuersorū humorum, & bilis, & propter frigiditatem vetriculi magna quantitatē pituitæ, & cum isti tres humores, pituita, bilis, melancholia faciant seni omnes ægritudines, habuit intrinsecas causas omnium suarum dispositionum. Succedit secunda causa, vitium sex rerū non naturaliū. Primo in aere pec-cauit summoperè, vixit in aere insaluberrimo, deinde nō bene vīsus est ratione vīctus in cibo & potu, omnia mala ingessit & ingerit omnia mona-stica cibaria (parcāt patres) sunt potius monstrā quām verē cibi. Quantum ad accidentia animi, perpetuò fuit detētus variis negotiis. Primo fuit Cellarius, quod officium est plenum curarum: postea functus est officio Abbatis, quod non mi-nus agrauat quām Cellarij. Quantum autem animi accidentia faciat ad omnem discrasiam cor-porum augendam, ostendit Galenus tertio Artis paruæ: Accidentia animi, inquit, exterminant ab ea quæ secundūm naturam consistentia est. Tertiò accessit, quod longè deterius omnium est, se-nium vltimum scilicet, in qua ætate omnes morbi manifestātur. Quid enim senectus aliud quam morbus & via manifestissima ad mortem? Cū enim vita calida & humida sit, frigida & sicca se-nectus, proculdubio erit via ad mortem, quæ fri-gida & sicca est: & quanto senectus magis ad eam accedit, tanto frigidiores & sicciores fiunt homi-nes, vt in vltimo senio, & omnes actiones cessare tunc incipiunt. Habemus igitur tria ista valde animaduertenda, quæ sunt insignia. Primo habet in-equalitatem membrorum, secundò vitium im sex rebus non naturalibus, tertiò habet senectu-tem extremam. Habemus etiam causas vnde con-traxerit complexione frigidam & sicciam per se in ipso ventriculo & hepate, licet huiusmodi po-stea per accidens propter plurimas cruditates, & defectus ipsius nutrimenti conuertendi in san-guinem bonum auēta, vnde efficiuntur membra ista humidiora. Hinc postea appetat causa reli-quorum omnium symptomatum per consensum. Nam quod in motu voluntario percipiat laſſitudinem quandam, hoc contingit propter pluri-mos vapores frigidos ascendentēs ad caput, & deinde descendentes ad partes inferiores, vnde ineptior fit ad motū. Causa vertiginis fuit quoniā multi vapores ascendentēs ab inferioribus agitant & cōmouent spiritus. De generatione catarrhi eadem causa est. Cū enim vapores ad cerebrū ascen-dant & ibi cōdensentur, generatur catarrhus de-fluens ad varias partes, occupat sēpe pulmones, vnde causatur difficultas anhelitus. Quantū verō ad tremorē cordis, tremor cordis habet propor-tionē cū motibus arteriarum, motus arteriarū est medius inter volūtariū & naturalē, nō est vol-un-tarius, quia hīc fit p̄ musculos & à voluntate: non est naturalis, quia non est de loco ad locū, sed est alteratio iste motus localis, ergo medius inter na-turalē & voluntarium. Etiam est motus contra-ctionis vel cōstrictionis & dilatationis ita in pul-su sicut in corde, cū eadē ratio pulsus & cordis, i-de quod in corde contingit, idem etiam in pulsu videmus. Vbi enim incalescunt spiritus, fit motus

Lassitude
in motu vo-luntario.

Vortigo
Catarrhus

Cordes tremor.